

† **R. P. Albertus Delforge (1885–1935)** <sup>2</sup>

(*Vice-Prov. Ruthen.*)

Albertus Delforge in Belgio, in Basse-Wavre Brabantiae Wallonicae natus est d. 29 Oct. 1885. Religionis vota emisit Trudonopoli d. 29 Sept. 1905 et eodem die a. 1911 sacerdos ordinatus est.

Quo melius se ad sacerdotalem dignitatem praeperaret, Iesu Christo in tabernaculo abscondito omnes horas liberas, praesertim fer. V, consecraverat et ad idem faciendum impulerat sodales. Tum igitur videbatur per longas horas immobilis ante altare SS. Sacramenti, nec dubium esse potest quin in his diuturnis cum Deo Eucharistico colloquiis ardens animus eius novis sanctisque flammis accensus sit.

Deus ipse ei dederat voluntatem fortem et sanctam quandam pertinaciam, qua ad bonum exemplum constanter dandum utebatur, idque magis fecundum reddere satagebat verbis audacibus, at semper ex amore provenientibus. Non noverat timorem, neque ulli cedebat, quoties securus erat rem Superioribus probari, qui omnes unanimi laude eius virtutes et exempla efferunt.



---

<sup>1</sup> Cfr. L. MAASSEN C. SS. R. in *Voix du Rédempteur*, Febr. et Mart. 1935.

<sup>2</sup> Vide supra pag. 106 de eius tragica morte.

Studiis absolutis nominatus est professor in iuvenatu Esschen (15 Sept. 1912), ibi suam orationis et obsequiosae caritatis vitam continuans.

Exorto a. 1914 bello abijt in Galliam et prope Loudun cappellanus Belgarum fugitivorum constituitur, quibus se totum devovet, sicut antea iuventuti Congregationis.

Die 17 Apr. 1919 cum compluribus sociis in Canadensem regionem proficiscitur et ad ritum Graeco-Slavicum transit, adiuturus tres illos



R. P. Delaere, confratribus aliisque multis circumdatus, ad cadaver Patris Delforge preces s. liturgiae recitat.

Patres, quibus tunc temporis 72 stationes Ukrainorum administrandae erant. Missus in Komarno (Manitoba), statim totus incumbit addiscendis linguis Slavonicae et Ukrainicae, ac brevi postea sacrum ministerium inter incolas pauperes rudesque illius vasti districtus exercere incipit. Nul- lum recusans laborem, praefert stationes magis difficiles, veluti locum R. . . ., ubi nutrimentum taeterrimum et habitaculum infectum. Evangelizare parvulis in deliciis habet, sed adultis quoque laetum salutis nuntium cum ardore annuntiat, alios convertens, alios ad meliorem vitam instruens, semper Regulae fidelis vivumque exemplar caritatis.

Quoties eius Superior suum esse existimavit Patrem Delforge vituperare, quod Dominica vesperi per pedes Apostolorum domum revertere-

tur, finito difficillimo servitio dominicali, quod ab h. 8,30 ad h. 16,30 duraverat! Agebat autem ita bonus confrater, ne Fratres laici fer. II sacrificio Missae et s. communionem orbarentur.

A. 1923, domo Komarno suppressa, ad Yorkton transmigrat. Inde a. 1928 in Poloniam missus in domum iuvenatus novitiatusque Zboiska, nominatur Minister, Consultor P. Vice-Provincialis, Admonitor P. Rectoris et Magister novitiorum laicorum. Ibi quoque eius zelus limites non novit. Moderator spiritus multarum animarum, haud paucas adolescentulas in Galliam et Belgium mittit, ubi in institutis ritus Latini nunc Deo fideliter serviunt. Et manet semper quod hucusque fuerat: exemplum observantiae regularis et fidelitatis in officio obscuro adimplendo.

Mense Octobri 1933 in Canadam reversus fit Minister domus Yorkton, ibique sesquianno exacto apostata Ukrainus, veluti praemium pro vita

sacrificiis repleta, glandem mortiferam in caput eius mittit. Nefandum scelus totum populum valde commovit, et funeri sollemni etiam multi acatholici intervenerunt.

P. Albertus Delforge erit semper gloria Provinciae Belgicae, et spem fovemus eum protectorem caelestem Vice-Provinciae Ruthenensis fore; occubuit enim heros caritatis fraternae et martyr fidei. Utinam sanguis eius, sicut olim sanguis S. Iosaphat, sit semen plurimorum sacerdotum, qui Deo placeant devovendo in humilitate vires suas populo Ukrainico! Pulchra anima eius, Deo unita, requiescat in pace!